

viri; ac præsertim eorum coryphæus, videlicet Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas, quos in tradenda & confirmanda dogmatis istius medulla concordēs invenias. Quare quum circiter Annum Christi MCCCXXXIII. Johannes XXI. Romanus Pontifex, tunc in Galliis agens, excitata a se in Sermone quodam, ubi S. Bernardi auctoritate usus est, controversia, num *Iustorum Animæ a Corporibus segregatæ*, quibus nulla criminis labes expianda superest, Divinitatem Facie ad Faciem, ut loquitur Apostolus, ante extremi Judicii diem intueantur; in negativam partem inclinare videretur: ingenti strepitu insurrexerunt in illum Theologi universi Parisienses. Inter istos præ ceteris tunc eminebant *Durandus a S. Porciano*, Ordinis Prædicatorum, olim Palatii Apostolici Magister, & tunc Episcopus Meldensis, a Scholasticis appellatus *Doctor resolutissimus*; *Petrus de Palude* Patriarcha Hierosolymitanus; *Petrus Rogerii* Archiepiscopus Rothomagensis, postea sub nomine Clementis VI. Romanus Pontifex; *Nicolaus de Lyra*, ob Libros suos vir perquam celebris, *Petrus de Casa* Episcopus Vasionensis, ut alios præteream. Una illorum sententia fuit, adversari sacris Literis, & Fidei orthodoxæ, qui Visionem Dei Sanctorum Animabus a Corpore separatis detraheret. Nondum revera hac de re ullum Ecclesiæ decretum, ut ajunt, definitivum prodierat, ita ut hæreseos insinuandum foret, qui secus sentiret. Attamen Johannes Papa, dum ægritudine pressus ad tribunal Dei festinaret, ne quid scandali inde oriretur, coram adstantibus protestatus est, se disputandi, illa de re antea loquutum. Immo addidit: *Fatemur si quidem, & credimus, quod ANIMÆ PURGATÆ, SEPARATÆ A CORPORIBUS, SUNT IN COELO, COELORUM REGNO, ET PARADISO, ET CUM CHRISTO in consortio Angelorum congregatæ, ET VIDENT DEUM, AC DIVINAM ESSENTIAM FACIE AD FACIEM CLARE, in quantum status & conditio compatitur Animæ separatæ.* Et quandoquidem interceptus morte Johannes XXI. solemnī Bulla, ut ritus habet, suam hanc mentem & protestationem ad omnium notitiam perducere nequivit: Benedictus XII. ejus Successor, Bulla conscripta *Avenione XVI. Kalendas Aprilis, Anno Primo*, quam apud Alphonsum de Castro, atque in Annalib. Ecclesiastic. Raynaldi habemus, Prædecessoris consilium complevit, ejus protestatione publici juris facta, suoque suffragio addito, per quod anceps apud Catholicos esse deinceps desivit ejusmodi argumentum.

* C A P U T XXIV.

post Photianum Schisma Græculi quidam, inter quos Moses Bar Cepha ineptus Scriptor, de Sanctorum Beatitate parum scite opinati. Concordes in ejusmodi questione cum Ecclesia Romana Dionysius vulgo appellatus Areopagita, Michael Syncellus, Auctor Vite S. Synlectica, Eustratius Diaconus CPolitanus, Leontius Cyprius Episcopus, Daniel Monachus Raithu, Andreas Cretensis, Stephanus Monachus Laurensis, Concilium II. Generale Nicænum, Theodorus Studita, Naueratius, Philo Carpathius, Nicetas Paphlago, & alii e Græcis.

ET hæc quidem de Latina Ecclesia. Nam ad Græcos quod attinet, jam cap. XVIII. monui, exsurrexisse post Photianum Schisma